



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola I. Ioannis Papae XX. De Beatitudine Sanctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

Anathemate etiam notauit Nicolaum Estensem Ferrariæ dominum, & Passerinum Bonacolsum Mantua tyrannum, qui statum ecclesiæ diuexabant. Ioannem Vrsinum in Italiam misit, qui Florentinos & omnes Guelphos in Bauarum armaret. Hic enim cum exercitu in Italiam traiiciens, Romæ coronā acceperat, antipapamque quemdam Petrum Corbariensem ordinis sancti Francisci de obseruantia creauerat, ac Nicolaum quintum nominauerat: qui paulo post per Bonifacium comitem captus, & Auinionem perductus, in carcere mortuus est.

Hoc impedimento liberatus, & Bauaro in Germaniam reuerso, pontifex regis Galliarum auxilio expeditionem in Sarracenos promulgari procurauit. Dum vero huic rei animum intenderet, pridie Nonas Decembris anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quarto, pontificatus decimonono, quarto mense, ætatis vero suæ 90. Auinione animam Deo reddidit, ac in ecclesia cathedrali sepultus est, magnum auri pondus relinquens. Amauit & amplissimis honoribus auxit Dinum Florentinum, & Gentilem Fulginatem, medicos excellentissimos, vt erat in viros doctos & præstantes propensus & officiosus.

E P I S T O L A I.

I O A N N I S P A P A E X X.

DE BEATITVDINE SANCTORVM.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam
rei memoriam.*

NE super his quæ de animabus separatis a corpore, & purgatis ante resumptionem corporum, diuinam essentiam visione illa videlicet, quam vocat Apostolus facialē, videant, tam per nonnullos alios in præsentia nostra recitando & allegando sacram scripturam, ac originalia & dicta sanctorum illis alias ruminando sèpius dicta sunt. Aliter per nonnullos quam per nos dicta & intellecta, aribus fidelium inculcabantur. Ceterum nostram intentionem, quam circa statum animarum separatarum habemus & habuimus, serie præsentium declaramus. Fatemur siquidem & credimus quod animæ separatae & purgatae a

Concil. Tom. 29.

A ij

corporibus, sint in cælo cælorum regno & paradiſo cum Christo in consortio angelorum congregatæ, & videant Deum facie ad faciem & diuinam effientiam clare, in quantum conditio & status patitur animæ separatae. Si vero alia & alia contra materiam huius per nos dicta & prædicata vel scripta fuerunt, quæ quomodo illa prædicauimus vel scripsimus contra præmissa vel alia, quæ fidem concernant catholicam, sacramque scripturam, aut bonos mores, illa abnegamus, & determinationem ecclesiæ & sacræ scripturæ approbamus. Alias autem dicta vel scripta illa habemus, & habere volumus pro non diætis & scriptis, eaque reuocamus expresse. Ac prædicta omnia, & quæcumque dicta & prædicata fuerunt, vel scripta per nos de quacumque materia, vbi cumque, & in quocumque loco, & in quocumque statu, quem habuimus & habemus, vel habuerimus, omnia submittimus determinationi ecclesiæ, ac successorum nostrorum. Nulli ergo omnino liceat hominum hanc paginam nostræ declarationis & constitutionis infringere, vel * ei ausu temerario contraire. Datum Auinione tertio Nonas Decembris, pontificatus nostri anno xix. Hac siquidem reuocatione facta, statim die & hora supradictis expirauit, &c.

EPISTOLA II.

IOANNIS PAPÆ XX.

AD VNIVERSOS FIDELES,

De bello Saracenis inferendo.

Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, uniuersis Christi fidelibus, præsertim neophytis & catechumenis, ac omnibus Christianitati adhærentibus, ad quos patentes literæ, bullæ sedis apostolicæ præmunitæ peruenient, salutem & apostolicam benedictionem.

FILII quos genuit Iesu Christus, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per suum proprium sanguinem, cum a damnationis crimine mortalium veritate, in sua cruce vnda sacro sancti sui sanguinis nos redemit. Noueritis nos absque hesitatione aliqua infideli, quod nos a sapientissimo & Christianissimo barone dile-